



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola Synodalis Odonis Archiepiscopi Cantvariensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

60 CONSTITUTIONES ODONIS

ieiunium, quatuor tempora, & alia legitima ieiunia. Vide-
licet iv. feriam & vi. feriam, cum magna vigilancia obser-
uare studeatis: & super omnia dominicum diem, & san-
ctorum festivitates, sicuti Canon & exempla præceden-
tium affirmant, ab omni sæculari opere cautissime custo-
dire procureatis, nec superstitionibus vanis consensum
præbeatis: neque creaturam pro creatore magicis illusio-
nibus adorabis: quia qui talia agunt regnum Dei non
possidebunt.

X.

Deut. 12. Decimo capitulo mandamus, & fideliter obsecra-
Malach. 3. mus, de decimis dandis, sicut in lege scriptum est: *Deci-
mam partem ex omnibus frugibus tuis, seu primitiis, deferas in do-
mum Domini Dei tui.* Rursum per prophetam: *Afferte, in-
quit, omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea,
& probate me super hoc. Si non aperuero vobis cataractas cœli,
& effudero benedictionem usque ad abundantiam: & increpabo pro
vobis qui comedit & corrumpt fructum terræ vestræ, & non erit
ultra in ea steriles.* Vnde & cum obtestatione præcipimus ut
omnes studeant de omnibus quæ possident dare decimas,
quia speciale Domini Dei est, & de nouem partibus sibi
vivant, & eleemosynas tribuant. Veritatem autem facien-
tes, in caritate maneamus in illo qui est Deus benedictus
in sæculorum. Amen.

PISTOLA SYNODALIS
ODONIS ARCHIEPISCOPI
CANTVARIENSIS.

Ad episcopos sibi suffraganeos.

MIRABILI cunctipotentis polorum præsulis clemen-
tia opitulante, ego Odo ecclesiæ Salvatoris Domini
nostrí Iesu Christi archiepiscopus, Dorobernenis ciuita-
tis metropolitanus, coepiscopis fidei catholicæ compa-
ginatoribus, spiritali caritate, etiam comitatus rigore,
meis confratribus, præsentium prosperitatem æthereique
decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri posset, ut to-
tius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus, ita ut
imperiali munere nobis vniuersaliter deseruirent, libenter

illa omnia distribuerem, meque ipsum insuper pro vestrarum animarum salute impenderem. Quippe quoniam me ipsum a vestræ sanctitatis studio cupio & spero corroborari super eo, in quo Dominus Deus nos operarios constituit. Et multa, quibus onus pontificatus exponit, subdidit: Idcirco humiliter, quasi indignus, sed deuotus, precor & hortor sanctitatem vestræ, ne tepide & negligenter in regimine animarum conuersemuni, vt non in tempore tremenda vindictæ conqueratur de vobis Dominus, dicens:

Pastores non pascebant gregem meum, sed semetipos. Et iterum: *Principes extiterunt, & ego ignoraui.* Sed potius curesmus familiæ Domini, super qua nos constituit rectores, cibum dare in tempore suo, mensuram tritici, probatam scilicet doctrinam. Et quamuis meritorum qualitate non præsumam consolari & hortari quemquam, quippe qui solus indignus, & innumerabilium culparum reus, gaudeo & indigeo fraternalis admonitionibus fideliter corroborari, tamen propter antiquam auctoritatem prædecessorum meorum, beatæ scilicet memoriæ Augustini, & aliorum sanctorum, quorum studiis regula Christianitatis; primum de hac archiepiscopali sede cunctis finibus Anglorum innotuit; idcirco istos diuinos apices ad utilitatem omnium vestrum caraxare decreui, quatenus rex augustissimus egregio vocabulo Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis & ex nobis audiatur, omnesque gentes, quæ vnde regali imperio ipsius subiectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conuersationis ouanter sequi ament & delecent.

Ezech. 34.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
944. L E G E S E C C L E S I A S T I C A E
EDMVNDI REGIS ANGLIÆ A SÆCVLARIBVS
S V I S S E G R E G A T A E.

TITVL CI CAPITVLORVM PARTIS I.

- | | |
|--|---|
| I. De vite castitate eorum qui sacerdos initiantur. | IV. De eo qui monialem stupravit,
& de adulterio. |
| II. De decimis & censu ecclesiastico, sive primitiis seminariorum. | V. De fani instauratione. |
| III. De homicidio. | VI. De peierantibus, & iis qui barbaras factitarunt sacrificia. |

H iii